

ASTEMIO (Giovanni Pietro)

CARMINA (1451 vers)

«*Claudia Zucchiatti, tesi di laurea Università degli studi di Trieste, 1971-72* » : cette indication, donnée par le site qui propose le texte numérisé de ces 'Carmina', suggère que cette oeuvre a fait l'objet d'un travail critique. Il est alors peu compréhensible que le texte numérisé contienne autant de vers lacuneux ou métriquement fautifs.

Nous avons donc dû, en nous appuyant sur la cohérence contextuelle et la contrainte métrique, faire un nombre important de corrections et de restitutions. Privé de toute autre source, nous sommes conscient du caractère hasardeux de cette entreprise.

Aussi sollicitons-nous l'indulgence de l'éventuel lecteur.

N.B. L'indication (R), devant le titre, signale qu'il s'agit de la réponse du destinataire de la pièce précédente. Pour d'autres pièces, dont la forme du titre indique une source extérieure, nous avons pensé qu'il pouvait s'agir d'un simple procédé littéraire.

DE SORORIS OBITU

C_1 v.1 Est soror et genetrix eadem mihi, dives egensque,
 2 mortua viva eadem, quin pater ille et avus,
 3 filius et frater sum idem, natusque neposque.
 4 Fulmine, nec certe fulmine conficior.
 5 Mortuus en vivo, vita formosus utraque,
 6 dulcis Acidaliae cura gravisque dolor.

AD CORNELIUM FRANGIPANEM, DUM BRIXIAM IRE RECUSARET

C_2 v.1 Commoda contemnis, claros contemnis honores
 2 ne pereant miseri, te statuente, rei.
 3 Macte pie hoc facto : sic te fecisse decebat
 4 qui solitus trepidis consuluisse reis.

AD THOMAM COLORETANUM SCABIE LABORANTEM

C_3 v.1 Dum scabiem pellis, quae corpus adederat omne
 2 ut redeat membris jam suus ille vigor,
 3 aspice ne pejor scabies mentem occupet, algens
 4 desidia, hinc animi ne cadat ille vigor.

DE PATRIARCHA AQUILEIENSI

C_4 v.1 Pastores, clausos stabulis educite tauros,
 2 ducite lanigeros in sua prata greges.
 3 Non dolus invadet saevarum aut ulla ferarum
 4 vis pecudes campis, laeta Aquileia, tuis.
 5 Barbarus hinc custos, hinc stat Grimanus, uterque
 6 vim pellet fortis insidiasque vigil.

IN OBITUM FRANCISCI SAURONIANI : VIATOR, CUSTOS

VIATOR

C_5 v.1 Quae manus illa virum est quae nigris vestibus urbem
 2 lustrat et assiduis fletibus ora rigat ?

CUSTOS

3 Julia gens haec est, patrem quae luget ademptum,
 4 quae patri tristes solvit et inferias.

VIATOR - CUSTOS - VIATOR

5 - Quisnam erat ille pater ? - Franciscus. - Quo genere ortus ?

CUSTOS

6 Sauroniano stemmate prodierat.
 7 Haec dixisse sat est, memorabunt plurima tanti
 8 hic passim cuncti nam benefacta viri.

IN EIUSDEM OBITUM

C_6 v.1 Ne mirere graves iteret quod Patria questus :
 2 occidit, heu, Patriae nam pius ille pater !

LEONARDUS ISTINIANUS DE RECUPERATA VALETUDINE PATRIS SUI LAURENTII
AD PHOEBUM

C_7 v.1 Quod mihi mortifera confectum tabe parentem
 2 servasti, medicae, Phoebе, repertor opis,
 3 hanc tibi nunc laurum pono : hac ego tectus et arcu,
 4 et citharam saepe et tot tua dona canam.

IN LAUDEM NOSTRI PONTIS

- C_8 v.1 Pontius e patrio me fonte abduxit in urbem
 2 justitiam et canam duxerat ante fidem.
 3 Qui liquidi fontis grato te proluis haustu,
 4 "Pontia perpetuo" dic "bona lympha flue !"
 5 Qui bibis hos latices, Ponti bona cuncta precare :
 6 Ille dedit medio prosiluisse foro.
- C_9 v.1 Hospes ades puroque sitim restingue liquore,
 2 aptior haec nulla est unda futura tibi.
 3 Cum bene sedarit fessum te argenteus humor,
 4 "Perpetuum" dices "Pontia lympha flue !"
- C_10 v.1 Surripuit volucris pullos immitis arator
 2 et subito raptos impius ille necat.
 3 Mater agens soboli quaesita alimenta reportat
 4 at vacuus caro pignore nidus erat.
 5 Ter circum volitat, ter se tenet aegra tremensque ;
 6 hinc super exstinctos victa dolore cadit.
 7 Quanta bonae volucris pietas ! Quam saevus arator !
 8 Ah pudet ! Est homine mitius omne genus.

URSA PRAEFERTUR ANTAEAE

- C_11 v.1 Quanto supremus terra est sublimior orbis
 2 floribus et quanto sidera clara magis,
 3 quanto caelitibus majus placuisse beatis,
 4 quam paucos forma detinuisse viros,
 5 Antaea tanto, crede, est formosior Ursa,
 6 Ursa polo lucens, Ursa adamata Jovi.

DE ANTAEA ET URSA

- C_12 v.1 Turrum Antaea bibit, patrium colit Ursa Timavum,
 2 utraque sueta oculis urere mille procos.
 3 Notus erat late Turrus lateque Timavus ;
 4 sed mage nunc nymphea clarus uterque sua.
 5 Altior at quanto pleni fluit unda Timavi,
 6 Antaea tanto pulchrior Ursa nitet.
- C_13 v.1 Cur Antaea tibi diae praeponitur Ursae ?
 2 Bella quidem Antaea est, pulchrior Ursa tamen.
 3 Si mihi non credis, credas vatique Jovique.
 4 Haec torquet vatem torsit et ante Jovem.

C_14 v.1 Ursa nitet caelo, duris Antaea rubetis.
 2 Illa nulla dies, hanc brevis hora rapit.
 3 Ursa capit superos, homines Antaea. Quid audes
 4 sideribus fluxas antetulisse rosas ?

C_15 v.1 Antaea lucens flosculus,
 2 colore ridens aureo,
 3 odore suavis optimo.
 4 Est Ursa sidus candidum,
 5 caelo decus quod tenebras
 6 suo nitore disicit.
 7 Quae sit prior ? Quae pulchrior ?
 8 Flos, stella ne omnes judicent.

C_16 v.1 Aureos mihi, candide o Ronelle,
 2 pergis mittere et usque me obligare
 3 tuis officiis. Quid ipse reddam
 4 tibi ? Caelicolas colens rogabo,
 5 in dies mage ut auro et ipse abundes,
 6 auro nec stupeas fruare at auro
 7 firmo corpore, firmiore mente.

IN OBITUM PERINNAE CICHINAE SORORIS, GEORGIUS CICHINUS, EPITAPHIUM

C_17 v.1 Templum hodie Christi genetrix de more reviset
 2 aequa sacra nati pendula membra cruce.
 3 Surge, soror, tenebris animi cum nocte fugatis,
 4 post dominam, ad templum sedula carpe viam,
 5 neu timeas inde alta poli convexa subire :
 6 sol tibi, divino lumine, pandet iter.

IN EIUSDEM OBITUM, ALIUD EPITAPHIUM

C_18 v.1 Alma Venus lucem profert, qua maximus auctor
 2 Christigenum nobis a Patre jussus obit.
 3 En sacra, dilecta soror, cruce brachia pandit
 4 inque salutiferum te vocat ipse sinum.
 5 Nosce Deum subito praesenti numine plena
 6 cum Christo credas, dulce Perinna, mori.

IN EIUSDEM OBITUM EPITAPHIUM, IOANNIS BAPTISTAE FLORII

C_19 v.1 Hic posita est quae fida fuit, quae casta marito
 2 quaeque pudicitiae nomina clara dedit.
 3 Umbra petit Manes, mors nam indignata peremit
 4 hanc, quae servavit cum pietate fidem.

- C_20 v.1 Pastor avis fetus, mater se perdidit ipsa :
2 hinc pietas, illic constitit impietas.
- C_21 v.1 Ut vidit volucris pullos pastore peremptos,
2 ah, super exanimes decidit exanimis !
- C_22 v.1 Impius exstinxit volucris sua pignora pastor,
2 at pia se exstinxit pignoribus genetrix.
- C_23 v.1 Rusticus abstraxit nido sua pignora matri
2 et subito immiti perdidit illa manu.
3 Ecce redit volucris pullisque loquacibus escas
4 ingerit, at nusquam garrula turba sonat.
5 Mater agens repetit nidum, frondesque locumque
6 et sobolem tristi carmine maesta vocat.
7 Luce bona atque alio volucris dignissima caelo,
8 vive diu leto nobilitata tuo.
- C_24 v.1 Dum circum volitat, maerens dum singula lustrat,
2 conspicit, ah, dura pignora rapta manu !
3 Tunc subito sistit tremulum stupefacta volatum
4 seque super sobolem projicit ipsa suam.
5 Sponte cadit mater natis frigentibus, ipsa
6 sponte comes nigrum per Styga carpit iter.

IN MORTEM UXORIS

- C_25 v.1 Quid nostri sociam lecti lugetis amici ?
2 Illa deum vivit consociata choris.
3 Me, me lugete exstinctum, quem deserit heu, heu,
4 cum tribus hic natis, cum gemitu et lacrimis.

AD CORNELIUM FRANGIPANEM

- C_26 v.1 Seu media, in salsis quae surgit fluctibus, urbe
2 eloquio mulces concita corda patrum,
3 sive per Alpinas rupes praeruptaque saxa
4 Rhaetorum celerans tendis adire duces,
5 sive per apricos colles et amata vireta
6 quae patrius liquidis irrigat amnis aquis,
7 sive aliud peragis, properas sistisve redisve,
8 te sequor, occultus sum tibi mente comes.

AD EUNDEM

C_27 v.1 Hos laetos semper fecundo palmite colles,
 2 terrarum haec altis edita verticibus,
 3 has gelidas valles, haec antra virentia musco,
 4 has liquidas Turrus quas agit almus aquas,
 5 haec bene culta arva, haec nemora, haec mollissima prata
 6 Musa colit, dulci carmine, Musa beat.

AD EUNDEM

C_28 v.1 Corneli, occideras nisi opem tibi amica tulissent
 2 numina, collapsi pondere pressus equi.
 3 Di te servarunt, ne tecum haec cuncta perirent :
 4 suada, lepos, Charites et chorus Aonidum.

IN OBITUM PETRI FRANGIPANIS

C_29 v.1 Hic situs est Petrus Frangi cognomine panis,
 2 nobilis et proavis, nobilis et sobole.
 3 Quae ruerint artes hominis, qui in pectore sensus
 4 mille docent animi pignora clara boni.

IN EIUSDEM OBITUM

C_30 v.1 Abstulerat carum natis mors invida patrem,
 2 cum soboles miserans ata parentis ait :
 3 "Conemur facinus semper memorabile : nobis
 4 e tenebris studium sit revocare patrem."
 5 Et subito ex atra Petrum Cornelius urna
 6 spirantem sacro carmine restituit.
 7 Prosper idem facturus erat, sed solverat unus
 8 et mortem et noctem, qua tegit illa viros.
 9 Si ferro exsanguis redeant in luminis oras,
 10 invicto et Fabii viveret ense pater.
 11 Felix prole tua, prolis virtute beate
 12 qui moriens vivis longius et melius.

IN EIUSDEM OBITUM

C_31 v.1 Eripuit patrem morti Cornelius ipsi,
 2 haec pietas nato, haec digna parente luit.

ALIUD

C_32 v.1 Exstinctus genitor nati virtute revixit ;

2 in patrem natos sic decet esse pios.

IN OBITUM LUCRETIAE STRASSOLDAE

C_33 v.1 Flet mater natam, uxorem vir, pignora matrem :
 2 tres miserae flentur, sed tamen una cadit.
 3 Una cadit, sed in una est mater, filia, conjux.
 4 Hic lacrimas miscens vir, soboles, genetrix.
 5 Et merito miscent lacrimas vir, pignora, mater :
 6 optima nam conjux, filia, mater obit.

IN EIUSDEM OBITUM

C_34 v.1 Si modo fas vitam vita pensare, redires
 2 Strassolda interitu casta redempta tui.
 3 Si liceat matri natam revocare sub auras,
 4 spirares, matris nata reducta nece.
 5 Sed tua par pietas in utrumque, Lucretia, vivens
 6 morte tua matrem, morte virum revoces.
 7 Tanta viri et matris pietas soletur ademptam
 8 et matrem atque virum tam pia virgo tenet.

IN EIUSDEM OBITUM

C_35 v.1 Dum paris, heu, subito raperis, Lucretia, fato !
 2 Luce puer fruitur, luce cares, genetrix.
 3 Deseris, heu, natos, heu, matrem deseris aegram
 4 et moriens maestum deseris ipsa virum !
 5 "O utinam vitam vita pensare liceret !
 6 Viva fores uxor, filia viva fores",
 7 sic lacrimans clamat vir, questu e pectore rupto,
 8 sic iterans clamat flebiliter genetrix.
 9 Tolle graves questus, vir, mater, tolle querelas :
 10 viva tibi est conjux, filia viva tibi.
 11 Ornarat terras tot claris dotibus olim,
 12 caelicolum lucet nunc nova forma choris.

IN EIUSDEM OBITUM

C_36 v.1 Mater, nata, uxor natos matremque virumque
 2 deserit et lucem luce carens aperit.
 3 Mater, nata, uxor natis, genetrice viroque
 4 non eadem (sola) est, est eademque simul.
 5 Tres simul abripuit mors immatura, sed hae tres
 6 una est ; atra tribus mors, tamen una perit.

C_37 v.1 Est collis fausto Coryleti nomine dictus,
 2 fertilior cunctis collibus et potior,
 3 non quod fecunda surgant hic fronde nuceta

4 aut nemus omnigenis fetibus eximium,
 5 sed quod proveniat seges hic invicta virorum,
 6 quos juvat et Musas et fera bella sequi.
 7 Et quod succrescant hic formae dote puellae
 8 egregiae et sanctae flore pudicitiae,
 9 ut modo quae fulvo longe formosior auro
 10 fulvia Strassoldo rite locata viro est.
 11 Altera quae antiquo Lavinia nomine dicta
 12 quod mores prisca temporis haec referat.
 13 Ede diu tales, collis dis care, puellas,
 14 ede diu tales, collis amate, viros.

C_38 v.1 Restituit prope jam lapsas Absternius aedes
 2 saxa humeris gryllus musque tulere suis.

C_39 v.1 Errarunt profugae longum per devia Musae,
 2 Barbarus ut propriis finibus expulerat,
 3 cum tandem enectaeque siti fractaeque labore
 4 incertum subito continuere gradum
 5 qua vagus intonsis Turrus de montibus exit
 6 et properat liquido per loca plana pede,
 7 hic, captae facieque loci caelique nitore,
 8 "Haec miseram" clamant "finiat hora fugam !"
 9 Tum veteres renovant blando modulamine cantus
 10 et reparant error quas lacerarat opes.
 11 Ex illo est sacer ille nemus, sacer ille recessus,
 12 ex illo solito est clarior ille locus.

AD VENEREM

C_40 v.1 Sancta Venus, precibus si quando tangeris ullis,
 2 accipe nunc facili, quas moveo, aure preces.
 3 Seu mage placaris donis et honore sacelli,
 4 en tibi jam nostra est ara dicata manu.
 5 Cara mihi ante alias, subito est avulsa Perilla
 6 atque anima est una pectore vulsa mihi.
 7 Non possum dulci, fateor, procul esse puella
 8 et meliore simul parte carere mei.
 9 Scis, dea, quam dubiis infelix jacter in undis,
 10 redde mihi dominam vel mihi redde animam.

AD CANEM

C_41 v.1 Delicium dominae atque meum, formose catelle,
 2 fide diu dominae, fide catelle mihi,
 3 dum cupide obscurae noctis jam jungitur umbra,
 4 comprime latratus, eia age, blande tuos !
 5 Imprudens laedis quorum tibi gaudia totque

6 deducis quos tu composuisse velis.
 7 At gemino amplexu vincti cum nexibus artis
 8 stringimur atque animas cum bene miscet amor,
 9 si quos audieris strepitus, tunc vocibus insta,
 10 ne quis nos subitis opprimat insidiis.

HIERONYMI AMALTHEI

C_42 v.1 Te moriente, Tryphon, caelo sol decidit et nox
 2 orbata est astris, te moriente, suis.
 3 Haec cineres tegit urna tuos at Fama superstes
 4 semper ad Eos ibit et Hesperios.

EIUSDEM

C_43 v.1 Mirabar qua Galla rubum sibi velleret arte
 2 cum, latitans in me, spicula torsit amor
 3 eque sinu exsiliens quod sentis perdit Damon
 4 non alio dixit Paeone vulnus eget.

EIUSDEM

C_44 v.1 Et calathum et molli vibrandos pollice fusos
 2 quosque tibi invideat caerulea Doris, acus
 3 mane domum referes, si cari in saepta Lyconis
 4 te referent sero vespere, Galla, pedes.

DE BEMBO

C_45 v.1 Laetus abit Bembus, cui longum contulit aevum
 2 vita sed aeternis mors dabit aequa dies.
 3 Res nova, res mira est, post mortem ut mortuus annos
 4 plures, quam vitae tempora, vivus agat.
 5 Nil mirum est abeuntem Bembum vivere plus quam
 6 vivum, nam virtus inclita nulla perit.

BELTRAMI CALDERINI

C_46 v.1 Romulidum decus et fulmen Sertorius atro
 2 indigni heredis vulnere victus obit.
 3 At noster summa virtute insignis et armis
 4 pro dolor Euganeis praecipitatur aquis.
 5 Illum Mars fovit, sed primo flore juventae
 6 istius invisata est gloria vera Deo.
 7 Ille foris tantum clarus, at noster ubique ;
 8 ille hominis dextra concidit, iste Dei.

IN DANIELEM CICHINUM EXTINGTUM

- C_47 v.1 Tota domus te maesta gemit sine fine peremptum,
 2 te Patria amissum flebile maesta gemit,
 3 te quoque longinquae lugent tot milia gentes,
 4 nam domui et Patriae carus et hospitibus.
 5 Aucta domus virtute tua est, Patria aucta decore :
 6 largus opum hospitibus, commodus unus eras.
- C_48 v.1 Pastor ego, mea cura greges et pascua, fagos
 2 has inter vita liberiore fruor.
 3 Fistula divitiae imparibus mihi juncta cicutis,
 4 duritiem hac donacis pauperiemque levo.
 5 Non tamen hinc spernas juris servator et aequi
 6 pastorem, pavit Phoebus et ipse gregem,
 7 Phoebus amor superumque decus, cui Delphica tellus,
 8 cui Cirrha assultat Thespiadumque chorus,
 9 tu quoque Iulea es, pater optime, pastor in ora,
 10 nos tibi commissi par gregis una sumus.
 11 Faginea haec igitur nostro tornata labore
 12 pocula sume libens, inferiora animo.

IN OBITUM UXORIS

- C_49 v.1 Dum paris oblecto sol se tibi subtrahit orbe
 2 sed nitet in rutilis postmodo purus equis.
 3 Dum cadis infelix uxor mihi deficit idem
 4 at numquam surgit clarus ut ante mihi.
 5 Tu caelo aeterni nunc hauris lumina solis,
 6 ipse hic in terris in tenebrisque gemo.
- C_50 v.1 Rex, vates pastorque fui, grege, carmine, sceptro,
 2 pavi herbas, lusi numina, jura dedi.
 3 Vates carmen, oves pastor, rex agmina duxi,
 4 fortis avena, fides et tuba juncta mihi est.
 5 Quae lituo cecini, pastor arundine, vates
 6 pollice, nunc Italis perlege picta modis.
 7 Si pensare velis doctum ratione laborem,
 8 pastor, rex, vates, Istria docta tibi est.

DE MARCHIONE AVALE

- C_51 v.1 Non vivam sine te, mi Brute, exterrita dixit
 2 Porcia et ardentes sorbuit ore faces.
 3 Avale, te exstincto, dixit Victoria, vivam,
 4 perpetuo maestos sic dolitura dies.
 5 Utraque Romana est, sed in hoc Victoria major :

6 nulla dolere potest mortua, viva dolet.

- C_52 v.1 Summovi a liquidis malos poetas,
 2 malos, putidulos, inelegantes,
 3 bonos excipiens, colo ut meus mos.
 4 Quod si durius impotentiusque
 5 quis fert hendecasyllabos jocosos,
 6 ipse se illepidum et malum fatetur.
 7 Tacete, o nimium graves poetae,
 8 tam durum strepitant et infacetum
 9 vestri murmura carminis, periculum
 10 ut sit ne fugiat vocata Nais.
- C_53 v.1 Si talem superi esse me dedissent
 2 et longe studii mei labores
 3 qualem me lepidae tuae Camenae
 4 fingunt, dum cumulant bonis trecentis,
 5 placerem merito mihi ipse et esse
 6 viderer mi aliquid. Sed, Hercle, abesse
 7 jam me sentio quae tu, amice, das mi
 8 quam tibi numeros bonos adesse.
 9 Quare, quas tribuis, remitto laudes
 10 et sane nimias gravesque nobis.
 11 Amorem accipio remunerorque
 12 pari ardore animi qui agit benigne
 13 me ut tot laudibus augeas colasque.
- C_54 v.1 Istos Lygdama lucidos ocellos
 2 qui jaces jaculantur intuenti,
 3 jaces, quae mihi jam cremant medullas,
 4 si usque mi liceat videre et usque
 5 tueri cupideque fixiusque,
 6 istos jam sine fine spectem et inde
 7 toto pectore stet bibisse flammam,
 8 flammam, heu, rapidas mihi fervidasque !
 9 Sed dulces tamen et mihi expetitas.
- C_55 v.1 Cui trado veterem meum sodalem
 2 molesta implicitum gravique lite
 3 tuendum ? Tibi namque tu clientem,
 4 et fide egregia, et movente lingua,
 5 defendis vehemens levasque damnis.
 6 Quare nunc face mutuo pro amore,
 7 qui inter nos fuit, est, eritque semper,
 8 Corneli, ut veteri meo sodali,
 9 valenti, lepido viro, modesto,
 10 praesto sis bonus, ut soles, patronus ;
 11 hunc patrocini tuo, hunc favore

12 dignum atque hunc memorem probumque noscas.

C_56 v.1 Quod, docte, numeris tuis venustis
 2 laudes colligis optimi patroni,
 3 cui cognomina lilia alba donant,
 4 quod sit candidus undecumque et usque,
 5 nil mirum benefacta nam trecenta
 6 Musae materiam tuae ministrant.
 7 Hinc laudes solitae, merae, trecentae,
 8 quas bono bonus ipse fers amico,
 9 quod feris studium quietis almae
 10 et quod consilium domus parandae
 11 commendas. Facile id tibi videnti,
 12 quid sit consilium, quies, decorum.
 13 Quod colles Patriae meae propinquos,
 14 ustos immodico calore solis,
 15 arentes solitoque honore cassos,
 16 nec sui similes virore et umbris
 17 redditus, reparas facisque amoenos
 18 et quales medio virent Aprili ;
 19 hoc magnum, hoc proprium tuae Camenae.

C_57 v.1 Rector beate caelitem,
 2 qui sic amas mortalium
 3 salutem, ut almi Filii
 4 sancto cruore laveris
 5 peccata eorum, suscipe
 6 servi precantis spiritum,
 7 qui fretus unica tua
 8 benignitate, languidos
 9 artus libenter deserit
 10 ut alta caeli sidera
 11 petens, fruatur, optime
 12 Pater, tua praesentia
 13 et sempiterno gaudio.

C_58 v.1 O vinum, tenue, aureum, Suave
 2 instar nectaris, o vinum deorum,
 3 vitae praesidium meae fugacis !
 4 Cedant Paeonii tibi liquores
 5 et quidquid remedii salubrioris
 6 ostendit medicae repertor artis.
 7 Jacebant lateris dolore membra
 8 semimortua, febris aestuabat
 9 ut fornacibus ignis ; ipse plantas
 10 leti limina dura transferebam,
 11 cum tu, languidulos fluens in artus,
 12 caelestis liquor, et levas dolorem,
 13 et vitam mihi reddis. Ergo, docte
 14 Damiane, tuum merum tuamque

15 vineam, aureoli meri parentem,
 16 dulci carmine concinam, recepta
 17 vita dum superat mihi, et rogabo
 18 votis assiduis Deum quotannis,
 19 ne venti, pluviaeve siccitasve
 20 aut vis grandinis improbive fures
 21 laedant aureoli meri parentem.

IN UXOREM EXTINGTAM

C_59 v.1 Conjux infelix, conjux quae flore juventae
 2 in medio cadis et natos tristemque maritum
 3 deseris in lacrimis et perpetuo maerore,
 4 quid primum ipse fleam ? Mortem properataque fata ?
 5 An me desertum subito in medioque laborum,
 6 quos ut te et possem parvos educere natos
 7 splendidius, patiens noctesque diesque ferebam ?
 8 An ternam prolem, communia pignora nostra
 9 expertem sensus, necdum sua damna videntem,
 10 matrem appellantem maternae et dexteræ egentem,
 11 commissam misero patri manibusque alienis ?
 12 Deploranda tuae est fortuna brevissima vitae,
 13 quae celerans jam vix bis denos egerat annos,
 14 cum recti mores, gravius cum pectus et artes
 15 innumerae manuum et mentis florere parabant.
 16 Difficiles post enixus partumque dolendum
 17 te, misera, ante diem crudelia fata tulere.
 18 Dum paris obscuro sol se tibi condidit orbe
 19 certum argumentum occasus luctusque futuri.
 20 Maerebant nati et lugubria verba canebant,
 21 tu quoque saepe tuos praedixti praescia casus
 22 dum modo maesta times suspecti tempora partus
 23 et modo in argentum per somnos ubera verti
 24 cernis, quae altricem infanti simulacra notabant,
 25 heu, quaerendamque argento pretioque parandam !
 26 Sed bene tecum actum est : terra tenebrisque relictis
 27 et gemitu et precibus purgato pectore, caelum,
 28 unde huc dimissa est pestis jam candida diva.
 29 Mecum ast, ah mecum, conjux crudeliter actum,
 30 qui cum sperarem longe meliora peractis,
 31 cum te formassem monitisque et moribus aequis,
 32 cum te, cum natis, cum nomine adauctus et essem,
 33 destituor te, te ad caelum revolante deosque.
 34 Cui nunc cura domus ? Cui rerum cura mearum ?
 35 Quae studiis fessum recreabit ? Leniter iras
 36 quae mihi discutiât, varios quae pectoris aestus
 37 sedabit placidis verbis aptisque medullis ?
 38 Quaenam tranquillos mecum conjungere somnos ?
 39 Quae paret et mecum laetos traducere soles ?
 40 Ah, miser, in viduo verso mea corpora lecto
 41 insomnis, maerens, curis obsessus amaris.
 42 Non redeunte die redeunt mihi luminis aerae,
 43 non abeunte die redeunt somnusve quiesve,
 44 cum torpore dolor tabentia membra pererrat,

45 excitat interdum Pauli vagitus inertem
 46 me oblitumque mei penitusque alteque dolentem.
 47 Ah, miserande puer ! non munera matris obire,
 48 ne patris abjiciam, possum ; vel bimulus aude
 49 ferre graves ictus aegraeque incommoda vitae,
 50 disce miser cara jam nunc caruisse parente.
 51 Dum Paulum miseror, succurrit Lucia et atras
 52 ingeminat curas fletusque per ora profusos,
 53 Lucia, quae sextum fuerat fingenda sub annum
 54 maternis studiis, maternis moribus, eheu !
 55 Lucia luce carens, amissa matre repente.
 56 Hanc pia cura aviae sed nunc tamen educat at te
 57 parve Simo, deflende Simo, quae nutriet ? Ipsa, heu,
 58 matris morte tuae prodis in luminis oras !
 59 Tu lucem primum, postremum suscipit illa.
 60 Poscebat matrem quaerebat et ubera matris,
 61 matris egens et lactis egens jam parvulus infans,
 62 at nusquam mater, nusquam carae ubera matris.
 63 Hinc gemitus matris morientis et ultima verba,
 64 hinc nati fletus tristes mihi verberat aures.
 65 Numina, vos testor nil me sensisse per omne
 66 curriculum vitae quod me aequae torserit umquam.
 67 Hinc satias vitae cepit me, hinc taedia lucis,
 68 sed vivo prorsus vitae dulcedine captus,
 69 ne moriens perdam immaturo funere natos,
 70 quos si destituam, pereant miserabile cuncti.
 71 Uxor, jam felix uxor, caelestia templa
 72 quae colis et terras spectas secura jacentes,
 73 nunc divos precibusque piis votisque fatiga
 74 ut mihi labenti jam tantum roboris addant
 75 natorum ut causa valeam tolerare labores,
 76 ut nati crescant, ut honesto pectore firment,
 77 ut, cum jam grandes fuerint, ego mole solutus
 78 corporea superos et te, Benedicta, revisam.

C_60 v.1 Vestra magis juvet an possit, venerande Philippe
 2 et Commendune, ima jam mihi mente reposte,
 3 illa ingens, virtus, dubito, me (credite) juvit
 4 plurimum et hoc omnes quos hic vinxistis amicos
 5 sincero, aeterno dulcique ligamine amoris,
 6 nam quos non juvat et morum purissimus ille
 7 candor et argutae candor vestrae ille loquelae ?
 8 Nil facitis quod non sit pulchri plenum et honesti,
 9 nil quod dedeceat, quod non fecisse velitis
 10 contigit. Est generis splendor natalibus altis
 11 non tamen hinc animus contemptor, non tumor ullus
 12 quamvis et fortuna suis plenissima donis,
 13 Fortunae tamen est tantae rectissimus usus,
 14 nec contenti istis longe meliora parastis,
 15 scilicet eximios diae sapientiae honores
 16 egregias et opes quas nullum oblitteret aevum,
 17 non fur surripiat, non hostis detrahat umquam.
 18 Hinc sancti mores, purgata hinc pectora, sanus
 19 hinc animus semper tranquilla et pace quietus,

20 hinc etiam fandi vis et cultissima lingua,
 21 quae seu res gestas prisca et monumenta virorum
 22 promit, seu leges, praecepta et commoda vitae
 23 explicat, Aoniis seu condita carmina in antris
 24 procinit arcana aut alta primordia rerum
 25 eruit oblectans arrectas detinet aures.
 26 Nec minor utilitas quam delectatio nobis
 27 vestro e congressu nostris sermonibus orta est,
 28 nam recti facies et cunctis forma verenda,
 29 quae vestris factis et dictis viva vigebat,
 30 sic nos accendit, sic miro cepit amore
 31 ut mediis illam jam sensibus usque locatam
 32 gestemus velut et numen nunc rite colamus.
 33 Hinc nobis studium vitae gravioris et omnis
 34 hinc odium vitii et turpis fuga concita culpae.
 35 O si possemus vobiscum vivere, vestris
 36 quotidie institui exemplis et moribus aequis !
 37 Quanta hinc commoditas nobis et quanta voluptas !
 38 Quod licet absentes semper venerabimur immo
 39 praesentes animo semper spectabimus ipso,
 40 spectatos summo studioque et honore colemus,
 41 tum cultos recti ut normam exemplarque sequemur.
 42 Vivite felices dis fortunantibus annos
 43 et nostri memores solide longumque valet.

C_61 v.1 Carnorum, Abstemi, doctissima legimus ambo
 2 carmina, quae ingentis referens virtutis honores,
 3 praeclaro candore atque ubertate loquendi
 4 ornasti mage quam veris nos laudibus ambos.
 5 Credo equidem voluisti una hac ratione docere,
 6 vir probus ac prudens, quales nos esse quibusve
 7 omnem operam studiis operam navare deceret.
 8 Nempe ut nitamur primo radicibus altis,
 9 late infixum animis recti studiumque et honesti
 10 et fidum valido consistat robore pectus.
 11 Deinde agilis varias artes et commoda vitae
 12 mens et res gestas, leges elementaque rerum,
 13 aethereos ignes, liquidas fusi aeris auras,
 14 undisonos ponti fluctus terrasque jacentes
 15 naturaeque vias scrutetur et abdita mundi
 16 principia ac primas solerti indagine causas
 17 ut petat immensum quod continet omnia caelum
 18 namque velut duplici circinnus stat pede et una
 19 insistens aequum circa convertitur orbem,
 20 aetherei quoque duplex est nobis animi vis,
 21 rerum exploratrix ratio et regina voluntas.
 22 Haec ut nisi bonoque aequoque immobilis alte
 23 stet justis rectisque tenax ast altera circum
 24 encyclopedeas et rerum ambiat artes.
 25 Unde operum rursus verborumque omnis ab ore
 26 convexo nobis ducenda est linea contra
 27 ad medium recta quos sedes cana locavit
 28 religio atque una pietas virtusque fidesque.
 29 Ilicet id tibi principium, is tibi terminus estque.

30 Haec tibi scribebam maerens dum magna Philippus
 31 pars nostri et melior patrias festinat ad oras,
 32 dulce solum Patavi linquens dulces et amicos
 33 ut vis prae lacrimis pauca atque incondita possem.
 34 Abstemi, mentis me inopem solare valeque.

C_62 v.1 Quod doleas cari discessu maestus amici
 2 nec lacrimas teneas, ista argumenta perennis
 3 in socium vitae fidei sunt certa et amoris.
 4 Iste dolor te, crede, decet lacrimaeque decorae,
 5 quas pietas ciet et firma concordia nexu
 6 culta tibi semper studiose et culta Philippo
 7 dum Patavi claram studiis et moenibus urbem
 8 incolitis cultumque animi dum quaeritis, acri
 9 scrutantes penitus sapientum dogmata cura,
 10 quae congesta alto doctoque in pectore lucent.
 11 Inde et promuntur vobis ad munia vitae
 12 digna bonis et tam justos thesaurus in usus.
 13 Sed redeo ad gemitus tuaque ad suspiria, amici
 14 quae moves abscessu. Sint haec pietatis aperta
 15 indicia at non sint animi tormenta quieti,
 16 quem fregisse decet munitum robore diae
 17 virtutis quidquid terret mortalia corda.
 18 Digreditur vitae et studiorum candidus ille
 19 consors, ille tui melior pars, nempe ad honores,
 20 Ad laudes tendit quibus accumulabitur ample
 21 dum Patriae officium praestabit, dum sua promet
 22 tot bona, tot dotes animi quibus et sibi sancte
 23 consulet et Patriae, et caris sibi civibus, olim
 24 clemens, cum rectum referat, revocabit et aequum ;
 25 commoda quanta bonis et gloria quanta sodali ?
 26 Quanta tibi in laeto tunc pectore gaudia surgent ?
 27 At dices : "Careo alloquiis nunc dulcibus". Esto,
 28 num tua curabis tu tantum commoda ? Num tu
 29 cuncta ad te solum referes ? Tibi et utilis uni ?
 30 Quod si tantopere exoptas invisere amicum
 31 et terere urbanis longas sermonibus horas,
 32 parva mora est placida cymba tranare lacunas
 33 et petere in mediis exstantem fluctibus urbem,
 34 urbem divitiis armisque virisque potentem
 35 et late populos terraque marique regentem.
 36 Quid ? Quod praesentem tibi littera sistet amicum
 37 haec eadem referetque jocos et seria utrique.
 38 Quid ? Quod saepe tibi mens daedala finget eundem
 39 et qualem cupies. Quid ? Quod simul estis uterque,
 40 estis uterque idem, duo corpora, spiritus unus.
 41 In Commenduno tegitur spiratque Philippus
 42 et tu in conjuncto tegeris spirasque Philippo.
 43 Quare quod doleas nihil est, te decipit error
 44 dum procul esse putas qui tecum vivit adestque.
 45 Quod te maerentem nisi jam collegeris, ipse
 46 excutiet tenebras erroris Lazarus istas,
 47 qui quemcumque voles audire apte exprimet unus
 48 Lazarus antiqua educit qui in luminis oras

49 inventa et sacras Musarum et Apollinis artes.
 50 Excutient alii virtute et nomine clari
 51 quorum istic semper tibi copia magna virorum
 52 et Maurocenus, nostras cum liquerit oras,
 53 quo non candidior, quo non jucundior alter
 54 nec mage facundus doctrina et cultior omni,
 55 hoc desiderium vult solans, ore levabit.
 56 Tu mentem compone bonique has consule nugas.

AD CORNELIUM FRANGIPANEM

C_63 v.1 Unum propositum, una meae est sententia menti,
 2 quod reliquum est vitae placide traducere et omnem
 3 sic culpam evitare ut vivam criminis expers,
 4 deserat ut purus moribundos spiritus artus
 5 et repetat purus purissima numina divum,
 6 cum veniet suprema dies et terminus aevi.
 7 Sed quaedam impediunt tranquillaque pectora turbant :
 8 quae tibi liberius, serpentina ut ulcera, prodam,
 9 admoveas nostro prompta ut medicamina morbo
 10 et de more mihi faveas moneasque juvesque.
 11 Jam quintus spargit nivibus loca cuncta December
 12 ex quo, rapta mihi partu fatoque maligno,
 13 me miserum liquit conjux prolemque domumque,
 14 quae jam bis denos vix dum compleverat annos.
 15 Hinc vexant animum curae assiduique labores,
 16 nec datur, ah, gratis impendere tempora Musis !
 17 Quae mihi et a prima nimium placuere juventa,
 18 quas ego vel regnis ausim praeferre superbis
 19 quas et divitiis Croesi praeponere possim.
 20 Nunc domus est curae soli mihi, pignora curae
 21 sunt uni mihi, nam quantum committere par sit
 22 ancillis et conductis mercede ministris
 23 quem latet ? Haec rapiunt (nostram) in contraria mentem.
 24 Haec illa exoptata mihi saepe otia rumpunt,
 25 dum metuo longo pereant ne parta labore
 26 sed mage serviles natorum pectora mores
 27 ne penitus foedent sperataque gaudia solvant.
 28 Haec mihi nunc sociamque tori sociamque laborum
 29 ut quaeram suadent, quae curis sublevet aegrum,
 30 quae rem dispenset, quae natam moribus ornet,
 31 quae, mihi si ingruerint morbi atque incommoda multa,
 32 quae passim miseros homines invadere suerunt,
 33 auxilium ferat atque adsit prompteque ministret
 34 quaeque malam Venerem reprimat revocetque vagantem
 35 ad leges et jura tori melioraque monstret.
 36 Quod si contingat qualem mens sedula fingit
 37 "Felices taedas, felicia vincula" dicam
 38 et viduo ulterius nolim frigescere lecto.
 39 Haec me ad conjugium invitant thalamosque secundos
 40 contra quae abducant, Corneli, nunc precor audi.
 41 Est mihi res tenuis duro et quaesita labore
 42 dum teneros fingo puerorum moribus annos
 43 et doceo ingenuas artes linguamque latinam.

44 Est nata et praeter natam Paulusque Simoque,
 45 quae proles vel patris opes desiderat amplas.
 46 Ipse ego jam multis aspergor tempora canis,
 47 jam quater undenae perpessus frigora brumae.
 48 Ingenium mihi non blandum patiensque jocorum
 49 et levium nugarum et si mihi dedecus atrum
 50 immineat, malim tortorem et fata subire
 51 quam foede inspergi maculis et labe notari.
 52 Adde animum muliebrem inconstantemque malumque
 53 et cupidum atque iracundum raroque pudicum.
 54 Adde his corruptos mores corruptaque saecula
 55 et fraudes hominum mille et mendacia mille
 56 et quae non facile est versu comprehendere damna.
 57 Haec terrent, dubium reddunt tardantque volentem.
 58 Tu cui consilium semper, cui candida mens est
 59 et mea cui magnae sunt semper commoda curae
 60 quid faciam propone incerto et consule amico.

EIDEM

C_64 v.1 Corneli quid agis ? Patriisne in collibus erras,
 2 curarum posito graviorum pondere et urbe
 3 posthabita, aut causas oras veteresque clientes
 4 defendis fandi flumen, praetore stupente ?
 5 Te certe lites retinent et triste tribunal.
 6 Nam si nunc vitrei lustrares flumina Turri,
 7 riparumve toros premeres sub mollibus umbris,
 8 me tua jampridem monuisset epistola meque
 9 mutuus ille amor in secessus numine dignos,
 10 in gratos superis montes jam saepe vocasset.
 11 Eia age linque forum caros et mitte clientes !
 12 Te vocat ad patrios dives Pomona recessus,
 13 te vocat ad sua nunc pulchra vineta Lyaeus :
 14 illa sinu gremioque ferens nitidissima poma,
 15 hic gestans unaque manu cum vite racemos.
 16 Munera ne sperne et divos ne temne vocantes,
 17 aucupiis captat turdos Silvanus edaces
 18 promittitque hilares cenas et prandia laeta,
 19 Autumnus pater et flores in vertice portans
 20 et fetus humeris ciet ad sua commoda cunctos.
 21 Praeterea sanctae tibi, prospera numina, Musae
 22 te nunc, crede, manent ad blandi murmura Turri,
 23 quae tecum solitae secreta per antra vagari
 24 et numeros dictare novos et carmine nymphas
 25 mulcere et satyros et monticolas silvanos.
 26 Hasne meas tu despicias ? Hasne (oro) morantes
 27 destitues, tibi quae tantum concedere suetae ?
 28 Eia age solve moras, ingrata negotia solve,
 29 nunc decet et fessos recreare in vallibus artus
 30 ex animo et longos penitus delere labores
 31 quos modo perpessus rigidas dum trajicis Alpes
 32 et celerans properas Germani ad limina regis
 33 a capite ut cari pellas discrimina amici.
 34 Nec tibi sunt vires, nec robor corporis illa

35 quae possint fessae superare incommoda vitae
 36 et licet exiles tolerat vix spiritus artus,
 37 dum cupit exutus vinclis et mole solutus
 38 altius attolli et propius divina tueri,
 39 corporis in specula tamen est mihi crede tenendus.
 40 Quod fieri certe haud poterit, si corporis omnem
 41 abjiciat curam. Domus est nam corpus et hospes
 42 utitur hac animus, quae si disjecta fatiscat,
 43 evolet aerias subito hic evectus in auras
 44 nec conata queat finem perducere ad ipsum.
 45 Sed quae sunt longo tantum informata labore
 46 interrupta cadunt veluti miserandus abortus
 47 et cadat illa tuae speratae gloria famae.
 48 Quare jam tandem secede et consule vitae,
 49 consule jam vitae, multis quae sospita recte
 50 consuluit. Quod si Tercenti rura beata
 51 jam colis et tua jam laetus pomaria lustras,
 52 id mihi significa celer istuc currere et ista
 53 temperie cupio tecum repararier et te
 54 visere, complecti, spectare, audire, vereri.

AD BELTRAMUM BELTRAMUM

C_65 v.1 Beltrame, unanimis quem plura in vincula nobis
 2 firmaeque conjungunt Patriae, studiorum et amoris,
 3 officiorum etiam multorum et rerum aliarum,
 4 quod te nulla meo jampridem nomine visa
 5 littera, non piger est torpor, non obsita caeca
 6 nocte oblivio sed duri assiduique labores,
 7 crede mihi, sunt in causa. Adde his longa locorum
 8 intervalla, adde his etiam argumenta, quod haud mi
 9 obvia, quae merito te et nobis digna putemus.
 10 Nam scio te plebis pereuntis funera nolle
 11 accipere aut vini pretium et quae vilia curat
 12 vulgus. Quae magni reges nunc si qua per orbem
 13 bella gerant, Romae vos planius omnia nostis.
 14 His libris ah posthabitis mollique quiete
 15 trans rigidas Alpes ad frigida flumina Rheni,
 16 ad maris undisoni fluctus Morinosque remotos,
 17 per longos tractus, per mille pericla sequutus
 18 ille choris Musarum assuetus saepe Cichinus,
 19 ille vel in primis nostrum conjunctus utriusque.
 20 Hunc nobis servate, pia <omnia> numina, lucri
 21 non hinc ille malo, non caedis ductus amore est.
 22 Exiit emotas procul hinc ut viseret oras.
 23 Parce pio juveni, Mars impiger, ille micantem
 24 te gravibus numeris nitido describit in aere,
 25 ille tuae Veneris formam, tua dulcia furta
 26 post pugnas, posita recinet tibi molliter hasta.
 27 Ut taceam haec faciunt. Tu qui potes ordine cuncta
 28 istic, quae nova sunt, quae nobis grata futura
 29 sedulus expone et nos scriptis saepius exple,
 30 nam rerum numquam Romae tibi copia desit.
 31 Cum Carolo Pauli est congressus, plurima in hoc sunt

32 congressu nobis incognita digna libellis.
 33 Est noster princeps cui nectare dulcior omni
 34 effluit e culto facundia pectore semper,
 35 qui Carolum valde admirantem singula verba
 36 flexanima penitus commosse est fama loquela.
 37 Sunt quae ad te attineant, cupide quae scire laboro :
 38 ut valeas, animo tranquillo an tempora ducas,
 39 an subeat rerum magnarum magna cupido,
 40 quae tibi sollicitae sit causa asperrima vitae.
 41 Nam si quae multi admirantur quaeris et ipse,
 42 atque inhians optas, (sinitur) tibi, dulcis amice,
 43 crede quies animi quae reddit sola beatos.
 44 Sin tu sorte tua es contentus cetera vivens,
 45 quae specie miranda videns <...> magnaue ineptis (vers lacuneux)
 46 spes superest placide vel adhuc te carpere vitae
 47 posse bonae fructus et noscere corpora ab umbris.
 48 Quare vel de aliis, vel de te scribito et usque
 49 corpore sed mage composita bene mente valet.

AD FRANCISCUM ROBORELLUM

C_66 v.1 Robortelle, mihi vita jucundior ipsa,
 2 quid dicam nostris semper se opponere votis,
 3 quod mihi non liceat complecti te atque tueri
 4 et terere optatis gratas sermonibus horas ?
 5 Qui desiderioque tuo rerumque tuarum
 6 ardeo, cognatis teque immo praefero cunctis.
 7 Dum sacra Junonis, dum vincla jugalia inibas,
 8 sperabam certe faustas invisere taedas
 9 et tibi jam anno sum coram depromere amorem
 10 sed nemo cupidum tunc me invitavit et aegra,
 11 crede, tuli me praeteritum. Ut sit mea vita
 12 jamdudum constans ratio, socerum ipse putavi,
 13 quod ratus, officii oblitum curisque gravatum
 14 hoc peccasse, seni tamen aequus sponte peperci.
 15 Tunc me solabar dominam gradiemur in urbem,
 16 qua tumidus summo ostentat Neptunus Olympo,
 17 illic colloquiis longum indulgere licebit,
 18 verum dum labor assiduus, dum vecta per urbem
 19 usque suam redeunt connexa negotia, vertit
 20 sese annus, <vastus> undas tranare negatum est.
 21 Ipse iterum haec mecum : patrias secedet in oras
 22 affinis dulcis vindemia dum leget uvas,
 23 accurrat, injiciamque meos pia vincla lacertos
 24 atque animum explebo tandem. Secedis et urbe
 25 egressus subito, repetis Neptunia regna
 26 ast ego deceptus spe frustra pascor inani.
 27 Hinc desiderii impatiens cum cetera dessent,
 28 corripui subito calamum tabulasque sine arte
 29 et sine verborum delectu haec pauca notavi
 30 ut saltem absentem te compellare valerem,
 31 elicerem absentis simul et dulcissima verba,
 32 quae longum intentas admisit Tuscia in aures,
 33 quae nunc excipiunt Veneti juvenesque senesque

34 quaeque admirantes secum volvuntque probantque.
 35 Tu perge ingenia excolere et ditescere fama
 36 et me qui dudum te observo pectore toto
 37 dilige, si vacat interdum et mihi scribe. Valet.

AD VITELLOCIUM VITELLIUM

C_67 v.1 Dum tu discendi studio, generose Vitelli,
 2 Carnorum fines et nobilis arva Timavi
 3 oppidaque et summis positas in collibus arces
 4 sedulus invisis, peragras atque omnia lustras,
 5 me quoque de facie voluisti noscere. Credo
 6 quod tibi me esse aliquid Maniacus dixerat ille,
 7 quo non candidior, quo non est ditior alter
 8 mille bonis animi sed tardum me atque pudentem
 9 et nihil effantem quod doctas expleat aures,
 10 ut semel intuitus voti vanique laboris
 11 paenituisse puto et comitem risisse quod ipso
 12 hortante ad me iter incassum flexisse videres.
 13 Sed ne paeniteat te humilem visisse clientem,
 14 nam quanto major, quanto praestantior anteis
 15 tanto te comem praebere ingentior est laus
 16 et junctus virtutum orbis, si demitur una,
 17 solvitur at si omnes haerent nexaeque tenentur
 18 tum lux exoritur late splendente decoro.
 19 Hinc est nobilitas numeros exacta per omnes,
 20 talis nunc genitorque tuus proavique atavique
 21 artibus illustres belli pacisque quietae,
 22 quorum tu quoque dum sequeris vestigia discis
 23 plurima et exerces deceant quae nobile pectus
 24 et ne quid desit facile libet addere mores
 25 qui tibi concilient pariter plebemque patresque.
 26 Certe ego, qui nulla, crede, ambitione laboro,
 27 gaudeo te parvos non neglexisse clientes
 28 et nostras optasse oculis percurrere nugas
 29 atque ardens studium mihi promississe abeuntem,
 30 quod tibi praecipuo me devinxere patrono,
 31 quem mulis merito antefero, quem pectore toto
 32 exceptum observo quemque et novisse triumpho.
 33 Tu veterum memori nunc dogmata corde repone,
 34 dein patrias ardens pergas amplectier artes
 35 et juvenis pugnas, juvenis meditare triumphos
 36 ut, cum jam vires, cum firma advenerit aetas,
 37 Italiam transalpino tuteris ab hoste
 38 et ductor subigas Histrum Turcamque rebellem
 39 et Maurum atque Getam patris monumenta sequutus,
 40 quo duce, Romanae semper vicere phalanges.

AD IOANNEM BAPTISTAM FLORIUM

C_68 v.1 Flori floscule pubis elegantis,
 2 digna progenies parente avoque,

3 ne feras gravius tuis tabellis
 4 doctis officii pique plenis
 5 me rescribere serius ; molestus
 6 urget assidue labor premuntque
 7 fessum milia me occupationum,
 8 tot saepe, ut nequeam volens amicis
 9 meis scribere cogar atque, amissis
 10 multis officiis, parum videri
 11 urbanus memor et parum meorum,
 12 dum tamen memor et tui et meorum
 13 omnium, mihi nam intimis medullis
 14 haeretis penitus dies nec ulla
 15 vos evellere mi valebit umquam,
 16 Non plus quam patribus piis amatae
 17 amorem sobolis. Venuste Flori,
 18 perge quod facis optimis bonarum
 19 artium studiis, avitum honorem
 20 ardens acrius aemulari et amplam
 21 novis laudibus effice ampliorem
 22 domum, quod tibi sit decus peremne.
 23 Fausto et Fontibono et meis patronis
 24 cunctis nomine dic meo salutem,
 25 Flori floscule pubis elegantis.

ABSTEMIUS AD FAUSTUM

C_69 v.1 Fauste sensibus elegantiarum
 2 reposte interioribus virorum,
 3 si meae assiduae occupationes
 4 tantillum mihi temporis dedissent
 5 a curis vacui laboribusque,
 6 istuc accelerans viam vorassem
 7 ut te amplecterer et simul rogarem
 8 mutuo ut cupidum tui me amares.
 9 Sed quod non liquit mihi, licebit
 10 hisce versiculis meis, meo qui
 11 te nunc nomine, Fauste mi, salutant
 12 sponte me, scio, mutuoque amantem.

(R) FAUSTUS AD ABSTEMIUM

C_70 v.1 Abstemi pater eruditionum,
 2 omnes quem merito ferunt ad astra
 3 et colunt et amant amore summo.
 4 Ni te plus oculis suis amaret
 5 faustus saxeus atque ferreus sit.
 6 Illi ignoscito, versat hunc eundem
 7 et quem tu, lapidem, venire si istuc
 8 cessat, nomine sed suo salutent
 9 qui te hos versiculos inelegantes
 10 mittit et redames amatus orat.
 11 Salve, vive, vale ipse tandem ut optas,

12 Abstemi pater eruditionum.

ABSTEMIUS AD FAUSTUM

C_71 v.1 Cichinus rediens domum salutem
 2 obvio mihi dixit addiditque
 3 Fausti nomine fausta mi salus sit.
 4 Inquam quam mihi nuntiat sodalis
 5 Faustus, suggerit hinc mihi roganti :
 6 perbelle valet eloquens amicus
 7 et te sic amat ut pium bonumque
 8 fratrem frater amat pius bonusque
 9 tuos versiculos facitque magni.
 10 Tu modos, quibus est remuneratus,
 11 te, promas, rogo, duco enim venustos,
 12 venustos tibi quos poeta misit.
 13 Haec ille, haec ego : nil mihi est relatum
 14 a Fausto, puto quod meos ineptos
 15 contempsit numeros levesque nugas.
 16 Rescripsit tibi, subjicit Cichinus,
 17 certe, nam mihi crede, dixit ipse.
 18 Quare, candide Fauste, docte Fauste,
 19 rursus suavidicas tuas Camenas
 20 mitte nam cupimus tui sodales
 21 oblectare animum tuo lepore.

(R) FAUSTUS AD ABSTEMIUM

C_72 v.1 Ignotus dederat tuum poema
 2 venustum, lepidum atque perpolitum,
 3 Abstemi, inde abiit nihilque dixit.
 4 Alter ecce venit die sequenti
 5 ignotus pariter, petens tibi a me
 6 responsum huicque datum est. Quidem putabam
 7 delatum, bene sit viro huic bono, qui
 8 Fausti versiculos rudes levesque
 9 non dat egregio gravi poetae.
 10 Forte id iudicio meique amore
 11 fecit, materiam daret tibi ne
 12 risus ; at quoniam tuae Camenae
 13 doctae nunc stimulis agunt et urgent
 14 has nostras resides, libens remitto
 15 missum jam tibi quaecumque carmen.

IN DIVAM IOANNAM ARAGONIAM

C_73 v.1 Nullum augustius hoc fuit sacello
 2 saeculis omnibus omnibusque saeculis.
 3 Nulla augustior hac dea, sacellum
 4 dignum te, dea, digna tu sacello.

C_74 v.1 Hanc molem templi quinam struxere superbi ?
 2 Egregii artifices totius Italiae.
 3 Hoc colitur templo quaenam dea ? Diva Joanna
 4 regibus Hispanis edita progenies.
 5 Illa boni animi summo dignissima caelo,
 6 illa novum sidus addita sideribus.
 7 Qui numeri resonant intus ? Quae carmina ? Casti
 8 hanc celebrant vates laudibus innumeris.

AD IOANNEM BAPTISTAM FLORIUM

C_75 v.1 Mittis munera regibus vel ipsis
 2 digna, splendide, docte, care Flori.
 3 Laetor muneribus tuis tibi que
 4 maximas ago gratias agamque
 5 dum vivam mihi non quod ista mittas
 6 tanta munera sed quod ipse vere
 7 reges aequiparans putes tuis me
 8 dignum muneribus, quibus vel ipsi
 9 reges se fateantur usque vinctos.

ABSTEMII AD L. FUSCUM

C_76 v.1 Fusce boni animi vel luce nitentior ipsa,
 2 jure et amicitia mediis mihi fixe medullis,
 3 libera et a curis vacua otia si qua supersint,
 4 istic appropere et longo post tempore visam
 5 amplectar que avide, immortalis foedere amoris.
 6 Te mihi conjunctum, assideam, rogitem accipiamque
 7 quae vitae ratio tibi jam fugientibus annis,
 8 quae studia et quae res. Habitat num corpore sanus
 9 firmo animus ? Spectetne alta atque haec vilia
 10 nec Pulcinici colles vallesque repostas
 11 discedens prius amittam quam singula doctus
 12 vel te confirmem tranquille ut tempora ducas
 13 quae tibi contingunt fato meliore, vel ipse
 14 consilio exemplo tuo subnixus id aevi
 15 quod superest placide degam curasque remittam.
 16 Sed quia se opponunt connexa negotia votis
 17 nec mihi quod libuit simul et licet, haec tibi dicto.
 18 Interea sese frangent curae atque labores
 19 et vacuo dabitur mihi stare, sedere, vagari
 20 et late discursare et requiescere et ipsa
 21 arbitrio tandem consumere tempora nostro.
 22 Tunc te conveniam, tunc coram plura loquemur.
 23 Haec tibi de me nunc : valeo bene corpore obeso,
 24 quo gracilis quondam nemo magis, profuit atras
 25 curarum nebulas animo exegisse gravato,
 26 profuit et lymphis Bacchi miscere liquores

27 amplius ut non re sed verbo Abstemijs esse.
 28 Res est ampla mihi parco tenuis sed avaro,
 29 ampla domus paucis contento, angusta superbo.
 30 Cetera sunt longe summis distantia et imis,
 31 quod mihi si liceat nunc tecum vivere, recte
 32 vivere me dicam, modo sint tibi et omnia recta,
 33 vive, vale et nostris, oro, rescribe tabellis.

ABSTEMII AD LEONAR. CORYCIANO

C_77 v.1 Saepe mihi hortanti, pulsus e pectore curis,
 2 tranquille vivas fugientis quod datur aevi,
 3 respondes fieri non posse et plurima narras
 4 aspera quae primis miser es perpressus ab annis,
 5 plurima quae indignum re urgent sine fine premuntque.
 6 Haec mala, quae memoras facundo carmine, non sunt
 7 tanta tibi ut possint animum turbare quietum,
 8 si modo communis non desunt lumina sensus
 9 et ratio dux certa homini te praevia ducit.
 10 Hoc primum, genitrix infanti olim tibi adempta est,
 11 expertem sensus torsit te nulla doloris
 12 vis, nulla infirmum oppressere incommoda durae
 13 quos matres perdunt, solitae servare novercae.
 14 Nam nimium indulgent illae, hae de more severae,
 15 neve haec falsa putes, exempla domestica tecum
 16 ipse animo volvas, melius fateare necesse est
 17 quam matrem natis, tibi consuluisse novercam.
 18 "Paupertas - inquis - patriis e finibus egit
 19 extorrem atque aliena diu me limina tristem
 20 videre et tenuem mensae pavere alienae.
 21 Hocne tibi miserum est ? Hoc damnis annumerandum ?"
 22 Heroes quondam terra erravere remota
 23 sponte sua Patriaque procul vixere beati.
 24 Nunc etiam proceres externis aedibus aevum
 25 sponte agitant vivuntque epulis opibusque alienis
 26 et tu quod laeti hi tolerant nunc ferre recuses ?
 27 Rem quereris parvam tibi congesse parentes
 28 paupertasque agitur rea nunc quoque, munera tamquam
 29 fortunae faciant mortalia saecula beata.
 30 Non pudet errantis te labi more popelli
 31 et solidum in vacuo nequiquam quaerere inani ?
 32 Nunc si divitiis libeat maledicere, iniquas
 33 ostendam et penitus turpes ab origine prima,
 34 convincam elatus segnes et saepe nocentes,
 35 sollicitas miseris et possessoribus atras.
 36 Contra paupertas animos sortita modestos,
 37 sobria funestisque dolis inimica, trecentas
 38 exercet vigilans artes et commoda vitae
 39 invenit et semper prodest mortalibus aegris.
 40 Non hanc ambitio, non hanc vesana libido
 41 exagitat non tot vitiorum milia, caecae
 42 divitiae quot alunt virus nutricibus ipsis.
 43 Decepit cupidum soceri spes vana peculi.
 44 Tunc velut latitans congesta ad pabula fucus

45 sperasti segnem in latebris traducere vitam ?
 46 At quanto melius te justo parta labore
 47 esse et apis ritu quod sat sit quaerere gnarum.
 48 Interiit genitor, regum interiire parentes.
 49 Erepta est primo blandissima filia in aevo,
 50 sunt quoque rapta aliis ipso sua pignora partu.
 51 Quaenam deliciae sunt hae ? Communia ferre
 52 nolle aut non posse ? Aegrotat nata altera, perfer
 53 et cari tenero Fausti cruri est male perfer,
 54 languentes si nulla levat medicina deosque
 55 sic voluisse puta recta et velle omnia eosdem.
 56 Jamne vides quae sueta tibi intoleranda videri
 57 et levia et cunctis communia ? Quae prius ipse
 58 credebas mala sat sanis bona commodaque esse ?
 59 Sed tamen ut tibi dem quaedam infelicia passum
 60 te immerito nec cuncta tuis succedere votis,
 61 tu quoque des permulta tibi concessa benigno
 62 Numine caelestium votis precibusque petenda :
 63 acrius ingenium, bona mens cultusque repostis
 64 Musarum ex antris et fontibus usque petitus,
 65 innocuus vitae cursus culpaeque pudendae
 66 nescius officiique hominis ratio usque retenta.
 67 Seu sunt parta tibi, sive alti munera caeli,
 68 maxima sunt certe bona, nec majora dederant
 69 his superi cuiquam, dare nec meliora queant dii.
 70 Adde his conjugium sanctum sobolemque bonosque
 71 quaestus, adde valens corpus fidosque sodales.
 72 Cum tibi tot subsint aegrae solacia vitae,
 73 desine jam tandem stulte maerere querique,
 74 finge sed ingenti te urgeri mole malorum
 75 et quae solentur miserum tibi cuncta negata.
 76 Ten (quaeso) imposito patieris pondere mergi ?
 77 Non ita Dulichius princeps, ast enatat undis
 78 strenuus iratis fortunaeque imperat ipsi,
 79 non ita Vergilio cantatus Troius heros,
 80 sed Patriam eversam invictus reparare laborat.
 81 "Tu ne cede malis sed contra audentior ito."
 82 Cum legis egregium quid censes velle poetam ?
 83 Mollia castigat non molli carmine vates
 84 pectora e haec sacro promit divinitus ore.
 85 "Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo."
 86 Quid ? Quae Socratici proponunt ora libelli,
 87 dogmata nil prosunt animi nec vulnera sanant ?
 88 Quid nostrae leges praescriptaque sancta deorum ?
 89 Quid ? Ratio frustrane est alto in corde locata ?
 90 Quare disjectam prudens jam collige mentem
 91 et data dona deum nosce atque his utere recte,
 92 sic laetus vives, spinis e pectore vulsis.

ABSTEMII AD JUSTINIANOS ET CONTARENOS

C_78 v.1 Egregii juvenes geniti alto a sanguine patrum
 2 Hadriaco dicunt qui pia jura mari,
 3 nunc amor ille meus Patriae et cura aemula curae

4 alloquar absentes admoneamque facit,
5 scilicet ut memores generis gentisque vetustae,
6 quae meritis olim claruit aucta suis,
7 eximiis animum virtutibus exornetis,
8 unde est nobilitas, unde et avitus honor,
9 editus unde honor est cui templa dicata piaeque
10 arae sunt positae sacraque facta viris.
11 Hunc vestri coluere atavi, coluere parentes,
12 hinc et opes, hinc et latius imperium,
13 huic quoque <tot> vigiles certatim offerte labores
14 et studia Aonio et carmina digna choro.
15 Nec vos detineant segni pigra otia luxu,
16 quae solita insidiis vertere firma suis,
17 nec vos decipiat male sanis grata voluptas,
18 haec solet incautos perdere saepe viros,
19 cetera neu fallant sancto adversantia honori
20 neu prope jam partis laudibus officiant,
21 namque ubi robustis jam firma advenerit aetas,
22 munera quae ad Patriae vos obeunda vocet,
23 artibus ingenuis bene cultis, seu fera bella
24 immineant, bellis utile consilium,
25 eruta profuerint exempla annalibus, ipsae
26 profuerint prisca temporis historiae,
27 seu tranquilla bonae labantur tempora pacis,
28 tunc suus ingenio est eloquioque locus.
29 Quam decet extremis Patriam servare periculis
30 sternere et hostiles fortiter ense manus,
31 tam decet afflictis propere succurrere rebus
32 consilii subitis ingenique bonis.
33 Hinc tituli illustres, hinc clari saepe triumphi,
34 hinc decus et certa praemia magna die.
35 Adveniet tempus cum, victis aequore Turcis,
36 serviet Aegaeum, serviet Ionium
37 oppidaeque antiquis reddetis capta pelasgis
38 et sua contemptis templa recepta diis.
39 Tum demum amissas reparabit Graecia vires
40 et servatores vos bene grata canet.
41 Tempus erit cum ipso potior prudentia ferro
42 discutiet tectas altius insidias
43 hostium et occultis conatibus obvia solvet
44 quidquid erit cladis, quidquid ubique mali.
45 Tunc populus plaudet vobis sanctusque senatus
46 gloriaque in curru vos vehet alta suo.
47 Tunc bene cultus honor colet et vos, tunc labor actus
48 implebit solida pectora laetitia.
49 Interea egregiis fortes incumbite coeptis
50 vestraque succendat pectora laudis amor.
51 Sic Patria digni cives crescetis avisque
52 et patribus soboles splendida nobilibus,
53 sic sperata mihi contingent gaudia qui vos
54 gaudia laturus sedulus erudii.

AD HIERONYMUM AMALTHEUM

C_79 v.1 Tristis Amaltheus laeto maerebat amici
 2 sospitis audito, pia nec suspiria pectus,
 3 nec questus os continuit, nec lumina fletus.
 4 Dii superi quibus est pietas gratissima semper
 5 solvite vos caro, vos solvite praemia amico,
 6 scilicet ut morbi domitor mortisque superstes
 7 in tremulum senium florentes proroget annos,
 8 insolabiliter ne plorent saecula nostra
 9 orbata egregio medico egregioque poeta.

ABSTEMII

C_80 v.1 Dum portum moderatus es, Georgi,
 2 nullum naufragium tulere cives,
 3 in portu fuit ipse et usque portus.

EIUSDEM

C_81 v.1 Adventu Gradenice tuo, ceu sidere laeto
 2 purius est caelum fertiliusque solum,
 3 discessu Gradenice tuo, ceu sidere tristi
 4 densior est aer terraque larga minus.
 5 Te veniente ergo laetantur Leminis undae
 6 illae etiam merito, te hinc abeunte, gemunt.

ABSTEMIUS AD MARIUM SAVORGNANUM

C_82 v.1 Mari, cui bona cuncta dii dedere
 2 quot sunt praecipua expetenda votis,
 3 eques si impavidus graves labores,
 4 ut lex exigit ipsa dignitatis,
 5 sponte suscipit et pericla multa
 6 adit ne patiatur immerentes
 7 vexari asperius, bonus patronus
 8 si causas veteris sui clientis
 9 defendit sine fine, si tuetur
 10 quisquis vere amat, ut decet, rogatque
 11 amicum auxilium indigumque amici.
 12 Tu eques strenuitate singulari
 13 non tueberis usque et usque et usque
 14 me senem invalidum, pium probumque,
 15 tectis fraudibus haud semel petitum
 16 impiorum hominum atque proditorum ?
 17 Faustissime <patre> et vetus patrone
 18 non tuebere me tuum clientem.

ABSTEMIUS AD FRANGIPANEM

C_83 v.1 Dolebam interius mihi immerenti
 2 malos nescio quos nocere velle
 3 magnis officiis mihi obligatos
 4 nec injuria pectore excidebat
 5 nullo tempore sed coquebat usque
 6 quantum vis nimis et nimis molesta
 7 at Cornelius ille, cujus ore
 8 suada nunc sedet, allocutione
 9 mecum usus tenera est : dolor repostus
 10 statim decidit. O virum disertum
 11 qui motos animos repente sedat,
 12 sedatos animos movet repente !

ABSTEMII

C_84 v.1 Collibus e patriis secessit in avia Mopsus
 2 et lustrat celeri pascua lata pede.
 3 Pastores, vestris dum Mopsus saltibus errat,
 4 dum terit umbrosis otia longa locis,
 5 efficite et precibus certatim et munere grato
 6 temperet ut solitis carmina blanda modis.
 7 Talia, pastores, avida exceptabitis aure
 8 qualia suavidico Tityrus ore canit.

ABSTEMII

C_85 v.1 Nec Geminos dicas queis unum pectus in uno
 2 pectore corque unum truncus et unus inest,
 3 nec dicas unum bifido qui vertice duplex,
 4 bis geminaque manu est, bis geminoque pede.

ALITER

C_86 v.1 Atque unum, atque duos in eodem corpore mater
 2 nisa nec est unum, nisa nec illa duos.

ABSTEMII DE FONTE LATIACO

C_87 v.1 Pontius huc duxit, populus dedit aera, liquorem
 2 hauri hospes, nihil est hoc mage dulce, vale.

AD GEORGIUM CICHINUM ET LEON. PONTANUM

C_88 v.1 Pontane et mihi junctior Cichine,

2 quam fratri bonus est piusque frater,
 3 quid rerum geritis simul recessu
 4 in vestro nimium cupito utrique ?
 5 Studetis veteres bonos poetas
 6 doctis fingere versibus subinde ?
 7 An longos teritis dies loquendo
 8 nunc haec, nunc alia, inde multa praebent
 9 jam narrata alia ut solent amici
 10 fidi, candiduli, boni, integelli
 11 quales vos fateor fuisse et esse ?
 12 An fructus legitis feracis anni
 13 quos tellus tulit et dies laborque
 14 anne semina spargitis per agros ?
 15 Haec vestra est modo cura nec metendi
 16 est vobis studium. Juvat per arva
 17 subacta assidue serendo, arando
 18 noctes ducere candidosque soles,
 19 hinc vobis nimium placet recessus,
 20 vos hinc agricolae repente facti
 21 at vestrae ut valeant, Cichine, vires
 22 istos assiduos pati labores,
 23 nervi sint licet integri et valentes
 24 rumpentur satione ni modus sit.

EIUSDEM

C_89 v.1 Hospes ades puroque sitim restingue liquore,
 2 aptior hac nulla est unda futura tibi.
 3 Cum bene sedarit fessum te argenteus humor,
 4 "Perpetuum" dices "Pontia lympha flue ! "

C_90 v.1 Tacete, o nimium graves poetae,
 2 tam durum strepitant et infacetum
 3 vestri murmura carminis, periculum
 4 ut sit ne fugiat vocata Nais.

(R ?)

LUISINUS

C_91 v.1 Certatim canite Hunii poetae,
 2 tam blandum resonant et eruditum
 3 vestra carmina, gestiens sequatur
 4 ut vos per latebras et arva Nais.
 5 Assis unius aestimate carmen
 6 Abstemii tetricique et insolentis.

C_92 v.1 Summovi a liquidis aquis poetas,
 2 malos, putidulos, inelegantes,
 3 bonos excipiens colo, ut meus mos.
 4 Quod si durius impotentiusque
 5 quis fert hendecasyllabos jocosos,

6 ipse se illepidum et malum fatetur.

(R ?) LUISINUS AD EUNDEM

C_93 v.1 Abstemi, qui odio Vatiniano
 2 bonus persequeris malos poetas,
 3 ecquo me in numero tenes petisse
 4 sic te ausum hendecasyllabis protervis ?
 5 Malum me fateor scelestulumque,
 6 qui sic me obtulerim pio poetae
 7 at tu parce, precor, reo, insolentis
 8 quem jam paenituit procacitatis.

ABSTEMIUS FRANCISCO LUISINO

C_94 v.1 Inter quos numerem te, amice, quaeris,
 2 inter suavidicos venustulosque
 3 te sane merito loco et locabo.
 4 Fructus ingenii elegantioris
 5 adhuc nam tener uberes dedisti,
 6 plures (tu modo perge) mox daturus.
 7 Sed quare veniam petis ? Putas cur
 8 me iratum tibi ? Versibus venustis
 9 junxisti tibi me, tibi merenti
 10 amicos homines simulque divos.
 11 Blanda carmina laederent ineptos,
 12 me mulcent capiuntque detinentque.
 13 Quare junctius esse nil putato
 14 quam est Abstemius undecumque et usque
 15 tibi candidulo venustuloque.

ABSTEMIUS AD LIBRUM

C_95 v.1 Furem fac moneas, liber, rapaces
 2 a te contineat manus crucemque,
 3 si te surripiat, statim minare :
 4 surreptum metuens crucis reponet.

C_96 v.1 Mutarunt Arno Tuscae te, Turre, Camenae,
 2 hinc te jam celebrem saecula futura canent.

C_97 v.1 Ipsa tuo decus es, pulcherrima nympha, Timavo
 2 ipse decus nympha es, magne Timave, tuae.
 3 Nympha, tibi vates decus est, tibi, magne Timave,
 4 clarus es hinc vates, nympha, Timave simul.

C_98 v.1 Hoc Sertorius est situs sepulcro,
 2 quem suum coryleta maesta partum

3 lugent flebilibus modis ademptum
 4 quemque Mars gemit et novem sorores,
 5 Martis artibus et novem sororum
 6 insignem et Patriae decus futurum.
 7 Mersit nox juvenem palude et atra
 8 statim ex insidiis adorta mors est,
 9 conjuratae animi bonis trecentis
 10 lucentem et tenebras suas fugantem
 11 fraude tollere, vis ut ipsa inanis,
 12 nox nigerrima, nox nefanda semper,
 13 mors asperrima, mors dolenda semper.

C_99 v.1 Dispulerat tenebras primo Sertorius aevo,
 2 splendidus egregii dotibus ingenii.
 3 At tenebrae invisum nigra mersere palude
 4 et Patriae eximium surripuere decus.
 5 Infandae tenebrae, scelerum nox improba mater,
 6 vos quoque nunc raptus disicit ille puer,
 7 culta diu accendit merito sua lumina, virtus,
 8 fama canens nomen cuncta per ora vehit.

C_100 v.1 Insidias tibi, Sertori, posuere latentes
 2 improba mors tenebris noxque adoperta caput.
 3 Pro dolor ! incautum et fluvio mersere profundo
 4 dum metuunt animi lumina magna tui.
 5 Impia mors nimium, nox impia, mortuus umbras
 6 discutiet vestras, tot bona clara nitent.

IO. PETRI ABSTEMII AD THEIAM AMICAM

C_101 v.1 Da nigros mihi basiare ocellos,
 2 da mellita labella basiare,
 3 cara Theia, care ocelle amantis ;
 4 sanabunt mea vulnera isti ocelli,
 5 beabunt miserum labella amantem
 6 beato ambrosiae liquore, quo ista
 7 madent usque labella, mi usque amata.
 8 Cara Theia, cara lux amantis
 9 da frui mihi tamdiu cupitis
 10 labellis roseis ocellulisque :
 11 haec sint praemia sola nostro amori,
 12 hoc tantum mihi ne nega roganti,
 13 sic neget tibi nil Venus precanti,
 14 sic semper placitis queas potiri.

EIUSDEM ABSTEMII

C_102 v.1 Sic mihi, sic data verba non merenti,
 2 sic me compositis dolis fefellit !
 3 Quae cor, quae misero mihi fuit mens ?
 4 Immitis nimium, impia ah puella !
 5 Dura, barbarata, cogis ah perire ?

6 Cui spes, cui fueras utrumque lumen ?
 7 Virum pessima me inscio parasti ?
 8 Et qualem tremulumque putidumque
 9 quae messes numerare <vis> retentas.
 10 Et jam flammeum, jam capis levem me,
 11 o levem facilemque credulumque,
 12 qui vere ex animoque te putabam
 13 cuncta dicere, nec negare dicta
 14 cum mi delicias jocosque mille
 15 dicebas faciens, ocelle care,
 16 mi lepos, mea vita, te sine umquam
 17 possim vivere ? Te sine ipsa vivam ?
 18 O ferar prius obviam leoni !
 19 Inde suavidisque morsibusque
 20 misceres animas anhelo in ore ;
 21 beati quater ampliusque eramus.
 22 "O sic perpetuum beata vivam !
 23 O sic emoriar tuis in ulnis !"
 24 Dicebas roseis tuis labellis
 25 occludens mihi spiritus frequentes,
 26 dente candidulo inferens mihi ictus.
 27 Haec vere omnia dicier putabam,
 28 sperans perpetuos meos amores,
 29 haec nunc omnia perdidere venti
 30 ferentes Scythiam ultra inhospitalem.
 31 At o perfida, pessima o puella,
 32 quae me deseris et perire cogis,
 33 iratos habeas deos deasque
 34 nec Hymen veniat, licet vocetur
 35 nec Juno veniat, licet vocetur
 36 ad connubia nuptiasque pactas
 37 sed malis avibus domum mariti
 38 intres et pede limen ominosum.
 39 Verberes thalamos tuos frequentent,
 40 lites, dissidium, ira, jurgia, ictus.
 41 His digna es thalamisque nuptiisque,
 42 rata haec, Juppiter, aequa fac merenti.

AD GALATEAM

C_103 v.1 Occidunt nobis, Galatea, soles,
 2 suffugit mensis celeri volatu
 3 et cadunt anni, mora nulla tardat
 4 temporis alas.
 5 Aspice in montes et aperta rura
 6 frigidis late nivibus repleta :
 7 haec modo, haec florum vario decore
 8 pulchra nitebant.
 9 Dum licet dulces foveamus ignes,
 10 en venit passu rapido senectus
 11 putrida, rugis perarata frontem,
 12 nuntia mortis.
 13 Cinge mi collum niveis lacertis,
 14 artius stringas <labra>, quid moraris ? (vers lacuneux)

15 Basiis me me obrue, basiis me
 16 obrue crebris !
 17 Mella nunc sugo roseo ex labello,
 18 mella, lux, spargis roseo ex labello,
 19 lux mea, o lux ! Male quid facis ? Deus !
 20 altius intres.
 21 Parce me duro lacerare morsu,
 22 immo age, ah morsum repetas beatum !
 23 Saepe me morsus repetitus iste
 24 inseret astris.
 25 Nunc tuo vivo, mea lux, in ore,
 26 tu meo vivis, mea lux, in ore,
 27 nunc Jovis caelum facio nec assis,
 28 quis mage felix
 29 me ? Mea possum domina potiri,
 30 cui Venus forma superata cedit,
 31 hoc feras Cypri, aut lege judicantem
 32 vel Phryga siste.
 33 Victa discedes Phryga judicante,
 34 tu mihi Cypris Galatea nunc es,
 35 tu bea, tu me mea Cypri saepe
 36 suavia fingens.
 37 Qualibus nunc me superis minorem
 38 nil facis, nil sum superis minor nunc
 39 en data vivis fruimur beati
 40 nectaris haustu,
 41 cum tuos specto, Galatea, vultus,
 42 Gratiis dulces Venerique sedes,
 43 cum manus specto tremulosque ocellos
 44 igne micantes,
 45 cor suo longum trepidat recessum,
 46 horror invadit novus et per artus
 47 errat algens vis oriturque toto
 48 corpore torpor.
 49 Cum pedum motus tenerosque passus
 50 servo, cur voces lepido cadentes
 51 ore miranti bene capto multum
 52 sedulus ore.
 53 Spiritus sedes proprias relinquit,
 54 densa nox lucem tenebraeque danunt,
 55 verba perges mollia mi referre,
 56 vita recedit.
 57 Unde sunt tantae Galatea vires ?
 58 Jam nihil magis minor es deabus
 59 cum volunt divae perimunt, velis mi
 60 vita recedet.

EPITAPH. IN RICARDI FONTEBONI JUR. CONS. ET ORATORIS ACUTISS. OBITUM

C_104 v.1 Sistas, parva mora est, gradum, viator,
 2 si nescis jacet hic Ricardus ille,
 3 ille hic egregius jacet Ricardus
 4 omnes quem lacrimis colunt ademptum,
 5 et vulgus simul et potentiores :

6 nam plebi fuerat parens et idem
 7 causas nobilium frequenter egit.
 8 Hic urbis columen jacet sepultum,
 9 hic est praesidium decusque Juli,
 10 hic est quem nisi mortuum, viator,
 11 fleris, te merito impium putabo.

ALIUD

C_105 v.1 Fons bonus emisit, salebrosas discere leges
 2 cura fuit, vixit non sibi sed Patriae.

ALIUD

C_106 v.1 Quem brevis urna tegit quaeris studiose, viator,
 2 Ricardus parvo conditur hoc tumulo.
 3 Fons bonus hunc genuit, fuit alto stemmate clarus
 4 clarior et magni dotibus ingenii :
 5 interpretes legum, nulli probitate secundus,
 6 doctrina magnus, magnus et eloquio.
 7 Diis nisi cessissent hujus sine crimine mores,
 8 non sibi sed carae natus erat Patriae.
 9 Saepe laboranti huic succurrit et adfuit unus
 10 idem sed numquam deseruit miseros.
 11 Quare age sarcophagum conspergas flore, viator,
 12 largo : perpetuum ver cinis hic meruit.